

Extractum Epistolae Excellentissimi, Admodumque Reverendi Episcopi Pekinensis, Ad Illustrissimum Admodumque Reverendum Episcopum Caradensem.

De statu Christianismi in Regnum Coreae mirabiliter ingressi.

Commendasti mihi, Illustrissime Praesul, pro tuo, quo ardes, erga sacras Missiones zelo, ut ad te diffusiori calamo scriberem statum Christianismi mirabiliter paucis abhinc annis ingressi in Regnum Coreae, huic meae Dioecesi conterminum, cuius novella Christi germina ego tuis Ecclesiaeque tuae precibus, et orationibus commendaveram. Vi votis tuis annuam brevem texam historiam originis, et progressus Evangelii in illo regno, juxta Neophytorum Coreanorum mihi communicatas notitias, et juxta informationes habitas ex novissimis literis Missionarii Coreani a me hoc anno receptis.

Origo novae Ecclesiae in Corea fuit conversio unius juvenis, filii legati [Regnum Coreae tributarium est Sinarum Imperatori, ad quem Rex Coreae mittit quotannis legatos, qui Regia nomine Imperatorem salutent, stabilitumque tributum solvant. Haec legatio fit in fine anni Sinici, hoc est, circa, vel in mense Februarii. Tres Magnates destinantur a Rege Coreae Legati, qui Pekinum veniunt, stipati multis subalternis Mandarinis, et familis, quorum omnium numerus pervenit ad ducentos circiter homines.] Regis Coreae, Pekinum perventi anno 1784, patro nomine vocati Li. Juvenis iste Mathematicarum scientiarum amator Europaeorum Missionariorum domos adivit, ut libros Matheseos obtineret, Mathesimque ipsam ab Europaeis disceret. Tempestive Missionarii Europaei cum Matheseos libris, Religionis Christianae libros obtulerunt, sensimque juveni Christianam doctrinam inspirarunt. Divina inspirante gratia, tactus fuit juvenis Li ex lectione librorum, et ex conversatione per literas [Literae, seu caracteres Coreani iidem sunt, ac Sinenses, licet pronuntiatio diversa ; ut propterea Missionarii, omnesque Sinenses, congnoscentes caracteres Sinicos, communicare possint cum Coreanis, qui iisdem characteribus utuntur ; itemque Coreani legere possint libros Religionis a Missionariis characteribus Sinicis exaratos.] cum Missionariis Europaeis.

Converus ergo ad Fidem, et circa necessaria instructus, baptizatus fuit, imposito illi nomine Petri. Eodem anno reversus in Coream novellus Christi Fidelis cum bona librorum Religionis copia Christianae, consanguineis, affinibus, ac amicis communicavit, quae in Ecclesiis Pekinensibus viderat, audieratque verae Religionis fundamenta, ac monumenta, distribuens libros, quos a Pekino portaverat. Librorum lectio, et novelli Christiani fervens praedicatio multos illico traxit Coreanos ad agnitionem veri Dei, ita ut intra breve temporis spatium quam plurimi fuerint in Christum credentes, quos inter aliqui evaserunt ipso Petro Li doctiores, ac ferventiores Christianae Religionis Praedicatores, ac Promotores. Quamplurimi igitur fuerunt ab ipso Petro Li baptizati, et quamplurimi ab aliis novis Christianis, quos Petrus Li cathechistas destinaverat, ut propterea intra quinque annorum spatium Christianorum numerum ad quattuor circiter millia pervenisse constet.

Non potuit haec novae Religionis propagatio diu laterc Regios Coreae ministros. Multi enim tam ex nobilibus, quam ex plebe praedicabant Christianismum eadem, qua illum amplexati fuerant, sinceritate, ac efficacia. Thomas Kim, zelosus Christianus, captus fuit anno 1788 a Praefecto urbis eo, quod Religionem exteram, doctrinamque peregrinam praedicabat, homines trahens ad Religionem illam sectandam. Haec audientes quamplurimi Christiani Praefecto se praesentarunt, dicentes ipsos etiam esse Christianos, ac Christianae Religionis praedicatores, multiplici verborum copia Iesum Christum annuntiantes. Obstupefactus Praefectus ob Christianorum multitudinem et aliunde ignorans Regis intentiones circa novae Religionis cultores, non ausus fuit quidquam contra multitudinem agere; sed, Christianis ad domos proprias reverti jussis, unum Thomam Kim exilio mulctavit, tanquam populi perturbatorem, ac peregrinarum doctrinarum praedicatorem : in quo quidem exilio, eodem anno gloriose mortuus est ipse Christi praeco. Ceteri autem Christiani audaciores facti, non solum in Regia, sed in aliis etiam regni provinciis Christianismum annunciant magno cum fructu, ad Petrum Li, aliasque Cathechistas ducentes, quos Baptismatis gratia dignos existimabant. Quia tamen ex librorum lectione cognoscebant multa esse in Religione Christiana ipsis inintelligibilia, et factu impossibilia communi consilio determinarunt Pekinum mittere hominem, cum litteris novae Christianitatis, in quibus instructionem, et alia Religionis formenta peterent ab Ecclesia Pekinensi.

Anno 1790 in comitiva legatorum Coreanorum per venit Pekinum Paulus In cum literis novae illius Christianitatis, in quibus statum exponebat. propagationis Evangelicae apud ipsos : res sacras, et libros Religionis Petebant, ac instructionem circa multa ipsius Religionis objecta. Haec inexpectata Coreana expeditio jucundissimum fuit spectaculum toti Ecclesiae Pekinensi, quam maximo gaudio affectit notitia novi ingressus Religionis Christianae, mirabiliter propagatae in illo regno, quo nunquam Missionarius intravit, nec Jesu Christi Nomen fuit praedicatum.

Ego post lectas novellae Ecclesiae literas, et post auditum neophytum Coreanum ipsarum literarum portatorem; literas Pastorales rescripsi, in quibus, post exhortationem ad immortales gratias agendas Deo Optimo Maximo pro tali tantoque beneficio vocationis ad Fidem novelas illas Christianitates exhortabar ad

perseverantiam in Fide, et ad media adhibenda conservandi, quam receperant, Evangelii gratiam. Et quia ex illorum, in literis, factis interrogationibus cognoveram magnam esse inter illos ignorantiam rerum etiam essentialium : compendiose ea docui, quae credere, et quae agere aporteret, ut ipsi Christiani esse, ac censeri mererentur etc. Paulus In receptis Pekini Sacramentis Confirmationis, Penitentiae, et Eucharistiae, hilaris ac laetus ad proprium Regnum est reversus in mense Februarii, secum portans meas literas Pastorales, Sinicis caracteribus exaratas in serica, ut facilius, et tutius intra vestes portarentur absconditae.

Perventus in Coream Paulus In suis compatriotis narravit quas Pekini viderat Ecclesias, quos allocutus fuerat Missionarios Euroaeos e remotissimis terrae partibus adventos ad propagandum Evangelium, et quae receperat Divina Sacraenta, etc. ut propterea Christianitates illae inflammatae in amore Religionis, et instructae circa ipsius Religionis object.a, deposito omni timore, et periculis contemptis, unanimiter concordarent cursorem Pekinum mittere cum literis, in quibus a me peterent Missionarios, qui eos doctrinae, et sacramentorum pabulo nutrirent, ac foverent. Quod quidem fecerunt, mittentes eadem anno 1790 in comitiva Legationis extraordinariae [Mos est in Sinis decimales nativitatis annos festiva pompa celebrare. Imperator Sinarum celebrabat hoc anno in mense Septembris octogesimum suae aetatis annum, ad cuius celebritatem accurrerunt Legati omnium fere Principum vicinorum, quos inter fuerunt Legati Regis Coreae.], quam Rex Coreae expediebat ad Imperatorem Sinarum in mense Septembris, duos homines, nempe eundem Paulum In, et Cathechumenum V, Officialem Regis, a quo missus fuerat, ut res aliquas emeret. Hi duo homines Pekinum perventi mihi tradiderunt literas novellae Ecclesiae, in quibus enixe rogabant, ut ad eos mitterem Missionarios, qui de illorum animabus curarent; itemque multa interrogabant de superstitionibus, de contractibus, etc.

Ego, lectis illis literis, in quibus Christi fideles instantissime petebant Missionarios, et spiritualia auxilia, post captum cum zelosis, et doctis Missionariis consilium in re maximi momenti, et consequentiarum, rescripsi novellae Ecclesiae, ad interrogata respondens, et promittens ad eam mittere unum Missionarium ; cuius expeditionis tempus, methodus, et modus fuerunt praefixa. Cathechumenus V fuit baptizatus, imposito nomine Joannis Baptistae. Ipsi tradidi Calicem, Missale, Aram, aliaque Missae sacrificio necessaria paramenta, quae Missionarius portare non posset, nec in Corea praeparare, itemque methodum faciendi vinum ex uvis edocui, ut ad adventum Missionarii omnia essent parata. In mense Octobris discesserunt Pekino duo illi cursores, et ad Coream feliciter pervenientes, tradiderunt, quas a me receperant, literas et res; quae omnia Ecclesiam illam magna affecerut laetitia, et consolatione.

Anno 1791 mense Februarii discessit a Pekino Joannes a Remediis, Presbyter Secularis, Macanensis, quem ego destinaveram Missionarium ad Coream ; et post viginti dierum iter ad confinia illius regni pervenit eo ipso, quo fuerat concordatum, tempore. Inopinatoo tamen contigit, ut zelosus Missionarius in confiniis, ac loco praedeterminato commoratus per decem dieram spatium, neminem ex Coreanis Christianis videre, aut alloqui potuerit magna ipsius et eorum, qui comitabantur, Christianorum Sinensium admiratione, et tristitia. Fuerat enim Pekini concordatum, quod tempore ingressus legatorum in Coream (quo quidem tempore nundinae fieri solent in confiniis Sinarum et Coreae, concurrente utriusque nationis magna mercatorum mullitudine) adessent Christiani Coreani, certis datis signis; et verbis cognoscendi a Missionario, et ductoribus Sinensibus, qui Missionarium ipsum reciperent, ad Coreamque ducerent. Cum ergo ingressis legatis, et finito nundinarum praescripto tempore, Missionarius neminem vidisset. Pekinum reversus est.

Sequenti anno 1792 nullam ex Corea recepimus notitiam, nullasque literas; quia nullus Christianus venit in consueta legatione. Rumores tamen a Coreanis gentilibus audivimus, ex quibus intelleximus excitatam fuisse contra Christianismum persecutionem, occisosque fuisse homines propter fidem. Quos quidem notitias verificare non potuimus, nisi vergente anno 1793, quo quidem tempore in comitatu legationis Pekinum pervenerunt duo Coreani Sabba Chi, Christianus, et Joannes Po Catechumenus. Hi duo homines fuerunt missi a Christianitatibus Coreanis cum literis, in quibus narrabant duram, quam passi fueram, persecutionem annis 1791, et 1792, ob quam impossibile ipsis fuerat Missionarium ad Coream missum videre.

Persecutioni autem occasionem dederant duo Christiani fratres, qui renuerant defunctam matrem Christianam ritu gentilico parentare. Erant hi fratres Palus In, et Jacobus Kiuan ex nobili prosapia oriundi, fervidae pietatis, et zeli ardantis viri, ac aemulatores maternae virtutis. Commendaverat illis mater moribunda, ut nullo modo permetterent aliquid superstitosum, aut idolatricum fieri in suis funeralibus. Est autem consuetudo legibus stabilita in Corea ut defunctis progenitoribus tabella erigatur auctoritate publica cum nomine progenitorum, quae religiosissime servari oportet in domo decenti (quae ideo vocatur progenitorum templum) ad quam omnes ex familia. descendentes tenentur ire certis anni temporibus sacrificia offerre, odores cremare, epulas praeparatas offerre, et multa alia superstitionis peragere et in hoc praecipue consistit Coreanorum filialis pietas erga progenitores defunctos.

Inter dubia, et interrogationes mihi factas ab Ecclesia Coreana anno 1790 fuerat : Utrum liceret tabellas progenitorum erigere, aut jam erectas conservare? Cui interrogationi ego negative respondi ex clarissima dicisione Apostolicae Sedis in Bulla Benedictina Ex quo, et Clementina Ex illa die. Haec responsio

occasionalis causa fuit apostasiae multorum Coreanorum nobilium, qui audientes meam ipsis in Literis Pastoralibus intimatam responsonem ad dubia circa tabellas progenitorum, et alia ab Apostolica Sede declarata superstitionis; potius voluerunt Religioni, quam veram agnoverant, quam patriis moribus, et pravis consuetudinibus renuntiare.

Non sic tamen fuerunt Paulus In, et Jacobus Kiuan. Ex quo enim audierunt non licere Christi cultoribus tabellas progenitorum erigere, aut conservare, igni illica tradiderum, quas domi habebant, suorum progenitorum tabellas. Mortua autem matre, et adventantibus juxta regni consuetudinem consanguineis ac affinibus defunctae (fere omnes pagani erant) non invenientibusque in solito loco tabellas progenitarum suorum, in rabiem versi, multa debacchati fuerunt contra Religionem Christianam, et contra duos Christianos, minacibus verbis exigentes, ut, quas supponebant absconditas tabellas, in medium proferrent, suoque loco restituerent. Duo autem fratres nil territi ingenue responderunt: Ipsos, et matrem suam Christianos esse, quibus idcirco non licebat veri Dei cultum cum defunctorum falso cultu religiose unire: matrem suam Christianam illis preecepisse, ut nil permetterent in funeralibus superstitionis, et legi Dei contrarium: progenitorum tabellas non esse absconditas, sed fuisse flammis traditas, etiam ex consensu matris: de caetero ipsos intime convictos de veritate Religionis Christianae, et de inutilitate ac faeditate cultus praestiti lignis ac cadaveribus, paratos esse ad omnia potius tormenta, et mortem ipsum sufferre, quam Divinam legem violare, tabellas progenitorum erigendc, aut conservando, quae sunt Deo odiosae, ac execrables, etc.,

Haec aliaque similia verba proleta energiter a Paulo In celebri apud suos doctoress, deturbarunt consanguineos paganos, in furoremque duxerunt, ut propterea, facto communi consilio, Paulum In et Jacobum Kiuan coram urbis praefecto, impietatis filialis, et exterae Religionis sectatores reos denunciarent, accusarentque. Vocati ergo in judicium duo fratres, et a praefecto interrogati ingenue confessi fuerunt Jesum Christum, cuius Religionis veritatem multiplici argumentorum genere Paulus In demonstravit, insimulque non negans tabellarum cremationem, ostendit inutilitatem, ac injustitiam cultus religiosi defunctis praestiti, etc.

Praefectus urbis prout erat Christianae Religioni infensus, ac personalis inimicus familiae Pauli In, hac habita opprimendi illum occasione, literas ad Curiae Ministros regios scripsit, in quibus praeter superdictam factam accusationem, exponebat magnum, quod regno, Regique imminebat, periculum ex nova introducta Europa · Religione, quae (juxta illum) homines retrahebat a cultu spirituum regni patronorum, a veneratione progenitorum defunctorum, et a debita erga regias leges observantia, etc. Ministri Regem admonuerunt de crimine duorum fratrum, et de periculis regno imminentibus, si nova Religio non penitus eradicaretur, ut propterea Rex, alias pacis amans, timore correptus unum ex Magistratibus constituerit Inquisitorem contra sectarios Religionis Christianae praecipiens ipsi, ut omni cura invigilaret, ne Religio illa propagaretur, aut filii deficerent in colendis defunctis pro genitoribus.

Praefectus Inquisitor a Rege constitutus, ut sui officii partes ageret, generalem in toto regno excitavit persecutionem contra Religionem Christianam, praecipiens subalternis praefectis urbis, ut, si quos invenissent hujus Religionis viros, carcere includerent, e quo non permetterent exire, nisi post factam verbo, et scripto apostasiam; duos autem fratres catenis ligatos ad se ire jussit, ut judicium subirent. Fuerunt ergo coram Inquisitore presentati Paulus In, et Jacobus Kiuan. Interrogati circa multa responderunt: Se esse Christianos, quia cognoverant Legis Christianae veritatem, ac aequitatem; se igni tradidisse tabellas progenitorum; quas inutiles, ac Deo execrables cognoverant; se velle in Christiana Religione vivere, aut mori prout Deo placeret; de caetero se esse paratos Regi, regisque legibus obedire iis in omnibus, quae non essent legi Divinae contraria.

Haec compendiosa, et fortis responsio displicuit Inquisitori, qui preecepit, ut tormentis torquerentur duo fratres usque dum Christo renunciarent. Duo vero Christi athletae durissime torti, constantiores remanserunt in Fide Christi, ut propterea Inquisitor e tormentis ad blanditias inutiliter perveniens, sententiam capitis protulerit contra duo fratres, tamquam peregrinae religionis sectatores, patriae religionis contemptores, et fillalis impietatis fautores.

Haec sententia mortis ad Regem delata pro confirmatione juxta regni consuetudinem, Regem ipsum contrastavit, eo quod Pauli In ingenium ac paeclaras qualitates agnoverat, familiamque ipsius diligebat. Missi ergo ad carcerem qui duos fratres adhortarentur, regioque nomine poenam capitis condonarent, si Religioni Christianae renuntiantes defunctae matri ac progenitoribus tabellam erigere promitterent: sed frustra. Duo enim Christi athletae Regi maximis actis gratis pro benigna sua erga illos clementia, responderunt: "Non posse ipsos Religione renuntiare, quam solam veram agnoverant, nec consequenter erectioni tabellarum assentiri, quas injustas, et Deo exosas sciebant." Hac responsione ad Regem delata, preecepit ipse iratus, ut capitis sententia executioni mandaretur.

Educti ergo e carcere generosi athletae ad locum patibuli deportantur, magna comitate Paganorum, et Christianorum caterva: et Jacobus Kiuan quidem ob tormentorum acerbitudinem semimortuus jam vix

aliquoties Jesu Christi, et Mariae nomina proferre audiebatur. Paulus In vero per omnia hilaris, ac laetus ad patibulum, tamquam ad coeleste convivium gradiebatur, Jesum Christum gravissima concione annuntians magna Christianorum, et Paganorum admiratione.

Perductos ad locum patibuli interrogavit Praefectus executionis : Utrum vellent Regi obedire, cultumque tabellis progenitorum praestare, ac religioni exterae renuntiare? Negative autem respondentibus duobus fratribus, praecepit Praefectus, ut Paulus In legeret capitis sententiam a Rege confirmantam, et in tabella lignea scriptam, juxta regni consuetudinem. Paulus in assumpta tabula, alta voce legit laetabundus sententiam mortis contra ipsum, et fratrem prolatam ; qua quidem lecta ; caput inclinavit supra magnum lignum, in quo amputari solent damnatorum capita, et sui omnino compos, invocatis multoties Jesu, et Mariae nominibus, signum carnificifecit, ut officium perageret. Amputavit ergo carnifex caput Pauli In, et immediate adducto Jacobo Kiuan semimortuo, sed invocante etiam Jesu, et Mariae nomina caput ipsi amputavit. Haec contigerunt die 7 Decembbris anni 1791 tertia hora pomeridiana. Paulus In complebat 33 aetatis annum, et Jacobus Kiuan 41.

Poenituit Regem sententiam mortis contra duos fratres confirmasse. Ideo cursore ad Inquisitorem Praefectum missso praecepit ut in exilium mitterentur duo rei, quorum emendationem non desperabat. Sed jam occisi fuerant fratres, quando Regis decretum pervenit. Duorum Martyrum corpora fuerunt insepulta per novem dies pro terrore Christianorum, appositis custodibus. Nona autem die, obtenta a Rege licentia, concessum fuit consanguinels occisorum, ut corpora sepelirent. Stupore obstupuerunt consanguinei et amici Martyrum, qui ad funeralia accurrerant, videntes corpora duorum rubicunda, flexibilia, et sine ullo corruptionis principio, tamquam si eadem die fuissent occisi. Non minor etiam fuit stupor quando viderunt fluentem, et liquidum sanguinem in ligna, supra quod capita Martyrum fuerant amputata; itemque tabellam, in qua scripta fuerat sententia mortis, sanguine tamquam si eodem die, et momento sanguis e corporibus exiret : quod quidem eo mirabilius visum fuit, quo mense Decembbris solent esse, et erant illo tempore majora frigora, quae (aiunt Coreani) omnia liquida ac fluida ipsis in domibus asservata, congelant.

Mirabundi ergo Pagani judicum injustitiam, et duorum fratum innocentiam proclamabant : quorum aliqui ad Fidem fuerunt conversi ob visum contemplatumque prodigium. Christiani autem non minus obstupefacti Deum invocabant, laudabantque, oculis prae gaudio lacrimabundis in Coelum sublatis. Ipsi Christiani multa intinxerunt sudaria in sanguine consperso duorum Martyrum, quorum aliqua frustula ad me miserunt cum historia, et circumstantiis martyrii, cuius tantum compendium scriba, ut brevitati consulam.

Narrant autem in eadem historia, quod homo quidam morti proximus, et a Medicis derelictus, bibens ex aqua, qua fuerat lota tabella conspersa sanguine Martyrum, drepente fuit sanatus. Narrant etiam de aliquibus moribundis sanitati restitutis ex tactu sudarri sanguine Martyrum intincti. Quae quidem omnia fidem multorum debilem roborarunt, Paganosque non paucos ad eamdem Fidem traxerunt ; ut propterea merito dici possit, quod sanguis duorum Martyrum fuit semen Christianorum

Ad caeteros autem Christi Fideles quod attinet, Praefectus Inquisitor commendaverat subalternis urbium Praefectis, ut in inquisitione contra Religionem Christianam, adhortando potius, et minando, quam torquendo, et occidendo, agerent. "Constat enim (aiebat) quod Christiani amant mori pro sua Religione, in qua postea, tanquam Sancti, magnum honorem, et gloriam acquirunt; et in suis libris legitur, quod quo plures occiduntur, plures Religionem ingrediuntur." Ipse autem Praefectus, ea doctrina, et politica imbutus, quamplurimos, praecipue ex Nobilibus, apostatare a Christo fecit in Regia, exhortando, blandiendo, magnisque honoris, et divitiarum promissionibus tentando : nonnullos tamen acerbis tormentis tentavit, ut Christo renuntierent.

In provinciis Regni, Praefecti urbium dirius, aut blandius Christianos fuerunt persecuti, prout ipsi affecti, aut infensi erant Religioni, Generaliter tamen loquendo, durius fuerunt tractati Christiani in provinciis, quam in Regia. Licet doleamus quamplurimos, praecipue ex Nobilibus Jesu Christo renunciasses verbo, et scripta: gaudere tamen oportet, quod multo plures in Fide permanserunt, posthabitibus honoribus, bonis, et mundana pace. Constat enim multos tortoribus restitisse usque ad ultimum spiritum : constat multos ad loca solitaria, et montes aufugisse, ne eorum Fides perditaretur ; constat devotas virgines, ac viduas utilibus nuptiis renunciasses, ut facilius, et tutius Christum colerent; constat denique aliquos in ex ilium missos propter Evangelium illic Fidem, et Christum eodem, quo incepserant, fervore praedicare.

Cognoscens autem Rex populum murmurasse ob tot incarcerationes, et persecutiones contra Religionem Christianam, secundo post inceptam persecutionem anno praecepit Praefecto Inquisitori, ut carcere inclusos Christianos dimitteret adhortatos, ut patrios mores, et religionem servarent, deserta Europaea Religione : curaret tamen, ac invigilaret, ne ad Sinas irent Christiani, quorum radix e Pekinensis Ecclesiis advenerat, etc. Hoc Regis decreto impositus fuit finis primae generali persecutioni contra Christianismum Coreanum. Christiani fuerunt dimissi ad suas domas, et Praefecti urbium cessarunt a molestis inquisitionibus.

Transacta persecutione, consuluerunt ferventiores Christi Fideles de homine mittendo Pekinum cum literis, in quibus omnia narrarent, Missionariosque peterent : miseruntque supradictos Sabbam Chi, et

Joannem Po quibuscum ego tractavi de secunda expeditione Missionarii ad Coream. Et quia mortuus fuerat Sacerdos Joannes a Remediis, primo a me destinatus Missionarius ad Coream, elegi ad hanc expeditionem Jacobum Velloso, Sacerdotem Sinensem, primitias seminarii Episcopalis Pekinensis, aetatis 42 annorum, qui ad pietatis, ac sufficientes scientiae Ecclesiasticae qualitates, profundam in Sinicis caracteribus, et scientiis cognitionem adjungebat, cum physionomia a Coreana gente non dissimili. Exivit ergo a Pekino praedictus Missionarius in mense Februarii anni 1794, munitus facultatibus omnibus, tam ordinariis, quam extraordinariis pro Apostolico ministerio obeundo.

Perventus autem post viginti dierum iter ad confinia duorum regnum, ductores duos Coreanos Christianos invenit, quibuscum de tempore, et ingrediendi in Coream deliberavit. Et quia tunc temporis propter alias locales persecutiones contra Christianismum, aucta fuerat in confinibus vigilantia Praefectorum Coreanorum : deliberatum fuit, quod ingressus Missionarii differretur ad mensem Decembris. Interim Missionarius (prout in commissis habebat, si tempus ingressus in Coream differretur) visitavit, excurritque Missiones Lusitanicas, quas in Tartaria habemus parum distantes e confiniis Coreae.

In mense Decembris ejusdem anni 1794 iterum adivit Missionarius confinia Coreae, ibique invenit Sabbam Chi, et alios Christianos Coreanos paratos, ut eum ad Coream comitarentur, ac introducerent. Mutatis ergo vestibus Sinicis in Coreanas, ingressus est Missionarius regnum illud die 23 Decembris, media circiter nocte; postque duodecim dierum iter, comitatus a supradictis ductoribus, feliciter pervenit ad Regiam regni Kin-ki-tao vocatam, magna Christianitatum illarum consolatione, et gaudio; quae Sacerdotem, tamquam Angelum e Coelo descendenter receperunt, veneratique sunt.

Illuc peremptus curavit omnia praeparare, quae necessaria erant Missae Sacrificio peragendo, et Regni idioma ediscere omni vi incubuit, ut ministerio exercendo quam citius se accingeret. Quibus quidem paratis, Sabbato Sancto anni 1795 adultos aliquos utriusque sexus baptizavit, aliis Baptismatis caeremonias supplevit. Hac eadem die aliorum audavit confessiones per scripturam, et die Sancto Paschatis Missam celebravit, communicans etiam praecedenti die jam confessos. Quae quidem Missa fuit primum Evangelicae Legis sacrificium, illo in Regno, vera Deo oblatum. Reliquum tempus usque ad mensem Junii satis pacificum fuit, in quo Missionarius Baptismatis Sacramentum aliquibus administravit, multisque, jam antea a Christianis baptizatis caeremonias supplevit.

Inter Christi fideles autem, quibus Sacraenta administravit Missionarius, foemina una fuit, quae domum revertens, fratrem catechumenum admonuit de Missionarii adventu, ac praedicatione, etc. Homo iste (qui in praecedenti persecutione Christo Jesu renuntiarat) fingens Poenitentiae, Baptismatisque desiderium, ad domum Missionarii accurrit, cum eoque, ac ductoribus Coreanis loquendo multa de Religione interrogans, et de adventu Missionarii, post longum conversationis tempus, e domo egrediens, recta ad Regium Palatium ivit, Ministrosque regios admonuit de adventu unius exteri, de loco habitationis, ac ductoribus, etc. Hoc contigit die 27 Junii, quo quidem tempore aderat coram regiis Ministris Christianus apostata, Praefectus militaris, qui apostasiae peccatum ex corde detestans, vehementer cupiebat Sacerdotem, qui ejus confessionem exciperet, cuique tamen caeteri Christiani timebant Missionarii adventum manifestare, ne forsitan proditor Religionis esset. Audiens autem omnem accusationem, factam ab alio apostata supradicto (qui etiam Praefectus militaris erat) accurrit ad domum indicatam, ubi Missionarius morabatur; ipsum admonuit de accusatione facta, de periculo, quod Religioni, illaque imminebat, auctorque fuit Missionario, ut quantocius ab illa domo exiret, offerens seipsum ductorem, ut alio diverteret.

Aufugit ergo Missionarius eadem temporis momenta, comitatus a Christiano Praefecto, qui eum duxit ad domum divitis, ac Nobilis viduae Christianae, quae eum recepit in sua domo usque dum tempestas cessaret ; in quam quidem domum, quia nullus vir erat, nemini, juxta Regni consuetudinem, ingredi fas erat. Eadem die Regii Ministri, facto consilio, milites miserunt ad domum Mathiae Xu, ubi Missionarius moratus fuerat, ut et exterum, et domus dominum caperent, supremoque tribunalis criminum deferrent. Miserunt etiam, qui ductores Missionarii caperent, Tribunalique praesentarent. Milites mandata obtemperantes irruerunt in domum Mathiae Xu, cumque Missionarium non invenissent, Mathiam solum capientes Tribunalis praesentarunt. Eodem fere tempore capti fuerunt duo praecipui Missionarii ductores, Sabba Chi nempe, et Paulus In (qui bis Pekinum missus fuerat a nova Ecclesia Coreana) aliqui quinque homines, qui existimabantur etiam ductores. Et quidem hi quinque homines negarunt se scire aliquid de exteri ingressu in regnum, et post quindecim dierum tormenta et verbera, ut Jesum Christum negarent, inutiliter, et frustra impensa, dimissi ad proprias domos fuerunt laudantes, et benedicentes Deum, quem generose confessi fueram.

Ad tres autem alios Christianos Missionarii ductores, scilicet Sabbam Chi, Paulum In, et Mathiam Xu, quod attinet, eadem nocte, qua fuerunt capti, Tribunalis praesentati, judicum malitiam, fraudes, et saevitiam silentio, patientia, et constantia devicerunt, fatigaruntque. Interrogati enim, si Religionem Christianam profitebantur, Hominemque crucifixum adorarent? Generose reponderunt affirmative. Jussi ergo Christo

maledicere ac blasphemare, negarunt posse hoc facere, asserentes paratos esse millies potius mori, quam Jesum Christum verum Deum, et Redemptorem injuriis aut blasphemias afficere.

Praecepit ergo Praeses Tribunalis, ut alapis, verberibus, ac genuum fractura vexarentur, sed frustra. Tres enim viri unanimiter persisterunt in confessione Fidei absque ulla haesitatione, aut debilitate. Interrogati postea de extero, quem e Sinis duxerant, de sociis hujus suppositi criminis, de via, qua venirent usque ad Regiam, de domibus, in quibus hospitati fuerant in eadem via, de nomine, qualitate, ac natione exteri ab ipsis in Coream introducti, et de minutis multis aliis circa expeditionem : nihil nisi professionem Fidei protulerunt. Ad Judicium autem praedictas interrogationes, tamquam muti, ac surdi, ne verbum quidem responderunt, silentium profundum observantes, quando de hujusmodi rebus interrogabantur. Frustra Judices, frustra ipse Tribunalis Praefectus partim blanditiis, partim minis eos adhortabantur, ut ad interrogata responderent. Post bonam partem noctis inutiliter consumptam, praecepsit Praefectus, ut acerbiora tormenta adhiberentur tribus hominibus, ut cogerentur respondere. Adhibitum ergo fuit quidquid erat in usu in Corea, scilicet alapae, verbera, manuum, pedum, ac genuum tortura, ac confractio, ut cogerentur interrogatis respondere. Sed fortis Christi athletae inter horribilia tormenta nil aliud, nisi Jesu, et Mariae nomina proferebant.

Judices existimantes se illusos, ac irrisos a tribus viris et desperantes posse ab illis verbum circa exteri adventum obtinere, in furorem versi, praeceperunt, ut omnis generis tormentis afficerentur illi homines usque ad interpectionem. Quod factum est. Eadem enim fere temporis momento in tormentis spiritum exhalarunt tres Christi Confessores unanimiter invocantes Jesum, et in vultus serenitate pree se ferentes spiritualem dulcedinem, qua fruebantur, patientes propter Jesum, et Religionis Christiana conservationem. Hoc martyrium contigit die 28 Junii anni 1795, cum Sabba Chi esset aetatis 29 annorum, Paulus In 36, et Mathias Xu 31.

Gesta horum trium virorum post Baptismi receptionem paeclaras sunt, ac magnis elogiis commendantur ab Ecclesia Coreana. Constat enim eos fuisse insignes Evangelii propagatores, ac ardentes Divinae Glorie promotores, ac zelatores, cuius quidem assertionis non minimum argumentum est, quod illi, posthabitis, contemptisque periculis magnis in introducendo Missionario in Regnum omni extero strictissime clausum sola Divina Gloria, ac aeterna suorum compatriotorum salute considerata, inter pericula, et innumeris molestias, ac timores primi ipsimet primum Religionis Christianae Missionarium imperterriti ad Regiam usque Coreae urbem incolumem duxerunt; ut propter huic pro Jesu Christi gloria exaltato labore, ac periculis corporalibus tribui non immerito videatur gratia martyrii gloriose passi, quaequidem gratia signum non aequivocum est Beatitudinis coelestis, ad quam fruendam vocantur illi, qui pro Christo moriuntur.

De cetero ego, Ecclesiaeque haec Pekinensis testes fuimus pietatis, et devotionis Pauli In, quando anno 1790 Pekinum bis perveniens Sacraenta Confirmationis, Poenitentiae, ac Eucharistiae magno cordis, et oris fervore recepit ita, ut quam plurimi Pekinenses temperare a lacrimis non potuerint, videntes in novo Christi Cultore veterani in Evangelica observantia hominis vultum, verba et exempla virtutum non mediocrum. Testes etiam fuimus anno 1793 pietatis Sabbae Chi. Intervallo enim quadraginta dierum, quo Pekini moratus fuit, Christi Fideles Pekinenses aedificavit exemplis devotionis, qua Sacraenta Confirmationis, Poenitentiae, et Eucharistiae recepit magno spiritus fervore, et lacrimarum profusione. Quoad Mathiam Xu autem, licet testes oculares non fuimus, quia ille Pekinum non venit, ex informatione tamen Missionarii Coreani scivi Christianum illum ex primis fuisse catechistis a Petro Li selectis, ut Religio Christiana propagaretur, ex primisque etiam fuisse in fervore, pietate, ad zelo dilatandi Divinam gloriam.

Post mortem trium Martyrum, quam plurimae fuerunt Regi factae admonitiones, ut publico decreto praeciperet fieri inquisitiones contra Religionem Christianam. Rex autem, natura pacis amans, et Religioni Christianae non nimium inimicus, timens aliunde populi seditionem, noluit publico aliquo decreto persecutionem generalem contra Christianismum excitare, sed aliquibus tantum populi ac militiae Praefectis Christianis e praefectura privatis, et aliquibus praefecture gradibus, aut honoribus imminutis (quos inter fuit Petrus Li e praefectura depositus, pauloque post in exilium missus) gravissime praecepsit totius regni Praefectis, ut summopere invigilarent ne Religio Europaea propagaretur, hortarenturque populum, ne partriam religionem desererent, exteramque amplectarentur. Quod si populus non obtemperaret, supremum criminum tribunal admonerent, ut tribunal ipsum post regiam suam voluntatem interrogatam, providentias efficaces adhiberet. Super omnia autem praecipiebat Rex Praefectis commorantibus in confiniis regni, et futuris legatis mittendis ad Sinas, ut invigilarent ne aliquis Christianus e regno exiret, vel Sinensis Coream ingrederebatur.

Haec Regis ordinatio, licet impedit generalem contra Religionem excitare persecutionem ; ansam tamen praebuit Praefectis urbium, ut Christi Fideles molestis, et duris inquisitionibus devexarent, ut propterea haec inquisitio in hoc tantum differre visa fuerit ab aperta persecutione, quod Christianorum vitae, ac crudelioribus tormentis parcebat magna Praefectorum pars. Non defuere tamen iniqui Praefecti, qui sub praetextu vigilantiae a Rege ordinatae Christianos ad mortem usque devexarent ; ex quo provenit, quod multi

domos proprias deserentes ad montes, et loca solitaria fugerent, ut Praefectorum tyrannidem declinarent, multi in carceribus detenti fame, omnisque generis aerumnis pressi perrierint ; multique in Fide debiles circa Fidei ipsius claram, et manifestam confessionem ter· giversati fuerint, coelestia terrenis, ac caducis postponentes.

Divina tamen Providentia factum est, quod Missionarius inter tot tantaque pericula positus incolumis conservaret pro salute multorum. Cessante enim aliquantulum Praefectorum molesta inquisitione, et respirante aliquantulum Ecclesia illa nascente ; quamplurimi apostatae Missionarium avide quaesiverunt, ut coram ipso detestarentur, quod ex debilitate, ac timore patrarent apostasiae peccatum, ut absolutionem obtinerent. Ceteri autem, qui genua coram Baal non flexerant, consolationem, et robur in Sacramentorum perceptione invenirent.

Supra exposita trium Martyrum mors, subsecutaque Praefectorum inquisitio in causa fuere, cur non nisi trans acto post ingressum Missionarii Coreani biennio, habere illius literus, ac notitias potuerim. Concordatum enim cum ipso fuerat, ut primo post ingressum verno tempore mitteret ad confinia cursorem cum literis tradendis cursori Sinensi a me etiam mittendo, ex quibus ego possem et ipsius, et Missionis ipsi commissae statum intelligere. Inexpectato tamen contigit, quod cursor a me ex Pekino ad confinia Coreae missus, illucque tempore concordato perventus neminem Christianum Coreanum viderit per totum solitarum nundinarum tempus. Reversus ergo Pekinum cursor me, Ecclesiamque hanc anxiam circa Missionarii, Missionisque Coreanae statum, ac sortem reddidit. Quae quidem anxietas aucta fuit, quando in principiis sequentis anni cursor iterum a me missus Pekinum reversus est, narrans quod neminem Coreanum Christianum vidisset; sed tantum expiscans potuerit a mercatore Coreano Gentili scire fuisse illo in Regno occisos homines propter Religionem Christianam. Quae notitia confirmata Pekini fuit ab aliquibus Coreanis Paganis Legationis annuae tempore. Quibus quidem combinatis hinc inde magnum fundamentum erat Missionarium fuisse in Corea captum occisumque.

Transacto igitur biennia, et mitigata aliquantis per Praefectorum inquisitione in confiniis Regni, potuit tandem Missionarius invenire hominem Pekinum mittendum cum literis, et. notitiis novellae illius Ecclesiae. Homo iste erat Thomas Vam pius et fervidus Christianus, qui etsi ex nobili ortu progenie, plebeum tamen se simulavit, ut ad Sinas veniret in comitatu Legationis Coreanae sub titulo famulatus legatorum, cuius humile officium pecuniis emerat a vera Legatorum famulo. Christianus ille Pekinum perveniens die 28 Januarii hujus anni 1771 me, Ecclesiamque totam Pekinensem laetitia, et inexpectato gaudio affecit literas mihi tradens Missionarii die 14 Septembris elapsi anni Latina lingua scriptas, et Christianitatum eadem circiter tempore caracteribus Sinicis exaratas in sericis, ut intra vestes portitoris involutae, vigilantiam, ac perquisitiones Praefectorum evaderent.

Ex ipsis literis cognovi ad amussim statum Religionis in Corea, et verificavi, quas praecedentibus annis habueram ab illa nascente Ecclesia notitias circa originem et progressum Evangelicae praedicationis, et circa persecutions, ac contradictiones Paganorum ; itemque intellexi pericula imminentia, e quibus vix evaderat Missionarius anno 1795. Narrat autem ipse in suis literis, prout in commissis habebat, periculo, quibus circumdatur in Apostolico ministerio obeundo ob continuam Praefectorum inquisitionem, et obstacula Evangelicae propagationi propter gentis Coreanae superstitiones in progenitorum tabellis, et cultu defunctorum peractas ; ob quarum prohibitionem ipsi a me intimatam quamplurimi Christiani, et catechumeni ex Nobilibus retrocesserunt. Narrat etiam pacificam, et benignam Regis indolem ex qua provenit, ut non nisi a Ministris coactus, et ob timorem alicujus in Regno revolutionis, Religionis Christianae cultorcs persequatur. Narrat tandem multa alia circa gentis indolem [Coreani eosdem mores, ei consuetudines habent, ac Sinenses a quibus descendunt, et quorum pars fuerunt ; easdem falsas divinitates colunt : eosdem magistros, Confucium nempe, et alios Sinarum doctores sequuntur; eamdem substantialiter gubernandi formam retinent, paucis exceptisquae moderni Sineses sub actuali dominante Dynastia Tartaro-Sinensi innovarunt.], mores, consuetudines, leges, temporale gubernium, religionem, etc. quae omnia usui esse possunt Directoribus Ecclesiae Coreanae pro recto ipsius regimine.

Inter media autem conservandi, augendique Christianisum in Corea, quae Missionarius, ac Christiani proponunt, hoc illis videtur optimum, caeterisque praeponendum : ut scilicet enixe rogetur Regina Fidelissima, ut unum mittat legatum ad Regem Coreae, qui secum portans Missionarios Mathematicis scientiis, et Medicina instructos, ad regni regiam perveniat salutatus Regem nomine Fidelissimae Reginae, e contracturus cum ipso Rege mutuam amicitiam. Sic enim continget, aiunt Coreani, quod Rex Coreae, natura bonus, Mathesis, et Medicinae amantissimus. et Religionis Christianae non inimicus, gratius aliunde obsequiis magni Legati Europaei, Religionem Legati ipsius honorans, ac permittens in suo Regno, Missionarios illos benevole tractet, apud seque relinquit magno Christianae Religionis emolumento, ac securitate.

Haec est, Illustrissime Praesul, compendiouse exposita historia nascentis Ecclesiae in Regno Coreae, quod Clementissimus Deus in sua misericordia respicere dignatus est iis ultimis temporibus, illuminans

homines in tenebris sedentes, et dirigens eos in viam pacis, et salutis, media adhibendo eo mirabiliora, quo humano oculo videntur inefficaciora. Cogitanti mihi de extraordinaria illius gentis conversione, et de mediis, ac viis, quibus quattuor circiter hominum millia ad agnitionem veritatis venerunt; itemque meditanti quanta cum veritatis robore, ac heroica constantia Religionem amplexam inter tot concussions, ac contrarietates viri illi conservarunt, illud illico in mentem venit Exodi : *Digitus Dei est hic et illud Apostoli : O' altitudo divitiarum sapientiae, et scientiae Dei!* etc.

Quis enim nisi Spiritus Dei tam subitam potest facere mutationem in cordibus hominum, ut ipsi per longum temporis intervallum sedentes in tenebris, et umbra mortis, ad aspectum lucis illico assurgant, sequanturque? Quis nisi Spiritus Dei potest tam debilibus instrumentis utens, magna Potentiae miracula operari, ut juvenis vix circa necessaria ad Baptisma instructus, Apostolus et Proredicator fiat suorum compatriotanum, vimque habeat trahendi ad Fidem magnam hominum multitudinem? Quis enim, nisi Spiritus Dei sua interiori Gratia potest debilium corda roborare, ut homines carnis, et mundi illecebris resistentes, tormentis potius consumantur horribilibus, quam Deum, quem adorare coeperunt, derelinquant?

Vere igitur Divinum opus est Evangelicae propagationis origo, ac progresus in Regno Coreae, cuius novella Ecclesia procellis persecutionum concussa, quinque Martyrum sanguine irrigata, et illustrum quamplurimorum Confessorum virtutibus radicata primitivorum Religions Christianae, temporum Ecclesiis assimilatur. Faxit Deus Optimus Maximus, ut quemadmodum primitivi temporis Ecclesiae, ita Ecclesia Coreana de die in diem in filiorum numero, ac virtutibus accrescens, fructus Benedictionis coelestis acquirat. Hanc Ecclesiam novam, filiam Pekinensis Ecclesiae, Pius VI. Pontifex Maximus, universalis Ecclesiae Pastor curis, ac directioni meae commisit [Quanta cum animi jucunditate, ac laetitia Pius VI, Pontifex Maximus receperit notitias novi ingressus Christianismi in regnum Coreae, narrat Eminentissimus Cardinalis Antonelii in epistola ad me data anni 1792, ubi ait : “Itaque Maximus Optimusque Pontifex totam felicissimi hujus eventus historiam a te contextam avidissime perlegit : ac perfusus gaudio, simul et lacrimis, primas istas ex tam dissitis terris Deo, quasi fruges, offerre posse mirifice laetus est.”] Et paulo post: “Quapropter novos hosce Christique athletas praeclarissimos parterne diligit Sanctitas Sua, eosque spiritualibus quibuscumque gratis prosequi vehementer cupit : atque licet corpore absens, oculis tamen spiritus intuens, et peramanter amplectitur, et Apostolicam illis benedictionem ex toto corde impertitur.”]. Hanc ipsam orationibus, et sacrificiis tuis, tuorumque ferventibus precibus adjuvari, et cupio, et spero. Vale, Praesul Illustrissime, et me, ut solet, amare, ac Deum O.M. pro me rogare pergas. Pekini 15 Augusti 1797. Signat.

Fr. Alexander Episc. Pekin.
edictionem ex toto corde impertitur.”